ceſſu meliore tranſcendunt, omnia privilegia [1], quæ jamdudum divorum Principum judicio meruerunt, legis iſtius præceptione noverint eſſe firmata, non præjudicatura quacunque generalitate pragmaticæ [2], nec angarias, vel parangarias, ſive paraveredos ulla ex amplissimæ præceptionis imponat auctoritas: ſordidis quoque muneribus, excoctione calcis, & ſuperindicti gravamine eos liberamus. † Domos quoque eorum non tantum in hac ſacratiſſima urbe, ſed in qualibet alia poſitas civitate, immunes ab omni hoſpitum cujuslibet dignitatis inquietudine vindicamus: permiſſa [3] eis veniendi ad Comitatum licentia præter evocatoriæ ſecuritatem [4]: multa decem librarum auri Judicibus Provinciarum, eorumque officiis infligenda, ſi ſtatuta numinis [5] noſtri crediderint contemnenda. † His addimus, ut cum optatam quietem acceperint, & inter [6] viros illuſtres [7] Senatores cœperint numerari: honore [8] curiæ ſine aliqua functione lætentur, immunitatisque gaudio plena dignitatis lætitia potiantur: ut dignitatem ſuam habeant ex ſenatu, ſub hac videlicet definitione, ut triginta tantummodo numero ea [9] privilegia conſequantur: decuriones quoque tres, ſed eos tunc demum perpotiri decernimus beneficiis ſupraſcriptis, cum per continuos tredecim [10] annos inculpatas excubias [11] peregerint. Dat. 9. Kalend. April. *Raven.* AETIO & VALERIO CONSS. 432.

4. Imp. ZENO [12] A. Coſmæ Præpoſito ſacri cubiculi.

NE ad diverſa tracti [13] Viri devoti Silentiarii judicia, ſacris abſtrahi videantur obſequiis: jubemus eos qui quemlibet devotiſſimorum Silentiariorum ſcholæ, vel ejus uxorem civiliter, vel etiam criminaliter pulſare maluerint, minime eum ex cujuslibet alterius judicio, niſi ex judicio tantummodo viri Excellentiſſimi Magiſtri officiorum [14] conveniri.

5. Imp. ANASTASIUS [15] A. Antiocho [16] Præpoſito ſacri cubiculi.

JUbemus Clariſſimorum [17] Silentiariorum præditos militia, etſi genitorum [18] ſuorum in poteſtate ſint conſtituti, quæcunque ſolatiorum, ſeu emolumentorum, vel donationum, ſeu hereditatum nomine per militiam, vel quamlibet ejusmodi cauſam his acquiſita ſunt vel fuerint, jure caſtrenſis peculii poſſidere, nec ea poſſe, vel parentes ſuperſtites ſibi vindicare, vel auferre, vel etiam poſt eorum obitum fratres, vel alios eorum heredes, quaſi ad defunctorum dominium pertinentia, in diviſionem deducere: nec enim oportet labores eorum aliis fructum, vel lucrum afferre. † Hac namque ratione ſimul & contemplatione nec ipſam militiam, vel ſuffragium [19] quodcunque pro ea, vel ab eiſdem Viris devotiſſimis Silentiariis, vel a parentibus eorum, vel a quolibet alio datum eſt, vel fuerit, ab his patimur in ſucceſſionem defunctorum parentum conferri, ſeu nomine collationis in medium eaſdem offerri pecunias, vel his imputari. † Ad hoc, de tutelis [20], & curationibus eos excuſari ſancimus: ne alienarum rerum adminiſtrationem ſubire compellantur, qui propter noſtra miniſteria, nec ſuis curam, ſeu proviſionem diligenter deferre poſſunt, inſuper eorum liberos, qui dignitate Virorum ſpectabilium decorati, ſeu Tribunorum decorati ſunt, vel fuerint, nullatenus nolentes adminiſtrationem Præfecturæ [21] ſuſcipere, ſeu peragere: omnibus videlicet antelatis privilegiis in perſona non tantum in præſenti militantium, ſed etiam poſtea eidem conſortio inferendorum, tam tempore militiæ, quam poſt eam depoſitam obſervandis. Datum Kalend. Januar. JOANNE & ASCLEPIONE CONSS. 500.

TIT. XVII.

DE [22] DOMESTICIS [23], ET PROTECTORIBUS.

Domeſtici & Protectores Principis ſalutantes Vicarios, & Præfectum, ipſos oſculari poſſunt. Bart.

1. Impp. [24] VALENT. & VALENS AA. Euſignio P. P.

DOmeſtici ac Protectores [25] oſculandi [26] cum ſalutaverint Vicarios, tui Culminis habeant poteſtatem. Pœna enim ſacrilegii [27] ſimilis erit, ſi his honorificentia non deferatur, qui contingere noſtram purpuram digni ſunt æſtimati [28]. Dat. prid. Non. Mart. *Mediolan.* VALENTIN. A. III. & EUTROPIO CONSS. 389.

2. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Heliodoro P. U. [29]

PRimicerius [30] quidem domeſticorum & protectorum utriusque [31] ſcholæ poſt adeptum [32] Tribunatum, inter eos ſpectabili dignitate perfruatur [33], qui Ducatum gerere [34] meruerint: alii vero, qui decurſis ſtipendiis ab eodem decem uſque numero ſubſequuntur, Conſulari, id eſt [35], Clariſſimatus dignitate perfruantur cum ipſa loci decemprimorum [36] acceſſione. Dat. 3. Id. Jun. AETIO & VALERIO VV. CC. CONSS. 432.

3. Iidem AA. Sporatio Comiti domeſticorum peditum.

SI quis domeſticorum nulla negotii publici abſtrahente ſollicitudine, nec ei per commeatum ſolenniter, ut abeſſet, facultate conceſſa, per biennium obſequiis Serenitatis noſtræ defuerit, is retrorſum in ordinem tractus inferiorem, quinque ſequentibus poſtponatur. Si vero triennium ejus abſentia continuaſſe monſtretur, uſque ad decimum locum procul dubio regradietur [37]. Quod ſi quadriennio tenus abfuerit, noviſſimus collocetur. Quinquennium vero ſi fuerit divagatus, ipſo jam cingulo ſpoliandus eſt: indignum quippe eſt, deſides a propriis tamdiu muniis aberrantes [38] (quos eſſe convenit aſſiduos) numerari.

Si domeſticus, vel protector ante finitum officium deceſſerit, heres ejus ſalarium totius anni in defuncti ſubſequenti percipiet. Bart.

4. Imp. JUSTINIANUS [39] A. [Vigili Conſulari, & patricio.]

LEge pragmatica ſine fine victura præfinimus ac conſtituendum credidimus, ut ſi quis Virorum fortium præſentalium [40] domeſticorum in numero [41] ſcholæ Secundicerii [42] locum [43] adeptus, deinde interea ſupremum clauſerit: heredes ejus non reliqui tantum temporis, quod eidem gradui [44] ſupereſſe monſtratur, verum etiam [45] integri ejus anni, hoc eſt Primiceriatus ſolatiis ac emolumentis fruantur omnino, ut quod ad quæſtum & compendium militiæ fructum proxime [46] pertinet, ſimilis habeatur [47], ac ſi ſuperſtes permanſiſſet [48] ad finem uſque ſupremum.

TIT. XVIII.

DE PRÆPOSITIS LABORUM [49].

1. Impp. HONORIUS & THEODOSIUS AA. Monaxio P. P.

QUi præpoſiti laborum [50], noſtro judicio promoventur, Clariſſimi ſint inter allectos [51]: ita ut ex Conſularibus habeantur. Nam [52] & immunitate digni ſunt, quos noſtri lateris comitatus illuſtrat. Datum 3. Id. Novembr. CP. THEODOSIO A. VII. & PALLADIO CONSS. 416.

TIT. XIX.

DE [53] PROXIMIS SACRORUM SCRINIORUM CÆTERISQUE QUI IN SACRIS SCRINIIS MILITANT.

De honore.

1. Impp. GRATIAN. VALENTIN. & THEODOS. AAA. Cynegio P. P.

PRoximos [54] memoriæ, epiſtolarum ac libellorum, atque diſpoſitionum, ita vicariorum honore cumulantes, ut inter eos merito dignitatis habeantur, qui Præfectis diœceſes [55] ſibi creditas temperarunt, ex eo tempore, ex quo eos ſplendor indepti proximatus oſtendat: inſequentibus proponendi, qui Vicarius poſtea adminiſtraverint: & nullam injuriam decernimus perhorreſcant. Dat. prid. Kal. Maji, CP. HONORIO N. P. & EUODIO CONSS. 386.

De ingreſſu in ſecretaria Judicum & conſeſſu.

2. Imppp. VALENTIN. THEODOS. & ARCAD. AAA. Conſtantino P. P. Galliarum.

IN [56] ſacris ſcriniis noſtris militantes, in Provinciis ordinarii [57], vel ſpectabilis Judicis [1] ad ſalutationem [2] non arceantur [3], & inviti in conſeſſum accipiantur: ſciturus vel principe, vel corniculario, vel capitibus officii, ternas libras auri ex [4] ſuis facultatibus eruendas [5], ſi conſiſtorium noſtrum ſæpe ingredientibus, Secretarii Judicum non patuerit ingreſſus, aut reverentia non fuerit in ſalutatione delata, aut ſedendi cum Judice ſocietas denegata. Dat. 6. Id. Novembr. *Treveris*, TIMASIO & PROMOTO VV. CC. CONSS. 389.

De honore Clariſſimatus.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Claudio P. U.

IN ſcriniis palatii militantes, id eſt memoriæ, epiſtolarum, libellorumque ac diſpoſitionum, poſt viginti [6] annos tranſactæ militiæ ſi diſcedendum ſibi eſſe decreverint, Conſulari honore fulti, inter allectos habeantur, huncque honorem dignitatis teneant, qui exconſularibus [7] deferri conſuevit: nec eos quiſquam injungendo aliquid, vel jubendo poſſit ab impertito otio ſeparare. Dat. 15. Kal. Mart. CP. ARCAD. IV. & HONOR. III. AA. CONSS. 396.

De excuſatione a muneribus.

4. Iidem AA. & THEODOSIUS A. Epiphanio P. U.

JUbemus [8] ut [9] primum omnium ſit eorum, qui in ſacris ſcriniis noſtris, id eſt, memoriæ, epiſtolarum, libellorum, & diſpoſitionum referuntur, ſecura [10] poſſeſſio, ab omnibus ſordidis muneribus excuſata, ſuperindictum non timeant, aut venalitium [11] non petatur, ſolumque canonicæ indictionis præſtent tributum, ut labore dignitas [12] conquiſita, extraordinarium munus ignoret: nec ullam temonum patiatur injuriam, equorum tyronumque [13] præſtationem nullus agnoſcat, qui vel adhuc [14] in ſcriniis militat [15] vel honorem proximi, & Comitivam primi diſpoſitionum, longi temporis ſudore quæſivit. Et hæc quidem patrimoniis cenſuimus deferenda. Quod autem omnibus conſtat deferri, adjectu alterius dignitatis perire non patimur: ut etiamſi pro ſuperioris fortunæ judicio ad honoris ornamenta proceſſerint, vetera tamen eis ſcriniis labore privilegia quæſita ſerventur. Dat. Id. Octobr. *Ravennæ*, HONORIO VII. & THEODOS. II. AA. CONSS. 407.

De honore Clariſſimatus. De ingreſſu in Secretaria Judicum & conſeſſu.

5. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Fauſtino [16] P. P.

PEculiari [17] perceptionis noſtræ favore præſtamus, ut in ſcriniis memoriæ, epiſtolarum, libellorumque ab exceptoribus uſque ad mello proximos, dignitatem Clariſſimorum, honoremque percipiant: & ſicut reliqui qui in iiſdem ſcriniis militant, liberum cum ordinariis Judicibus ingreſſum Secretarii, conſeſſumque habere legibus meruerunt: [ita] hi quoque in quos hanc ſtipendiorum meritis Clariſſimorum conferimus dignitatem, cum ſpectabilibus etiam habere ſeſe reverentiam recognoſcant: ut conſedendi, ingrediendive ſecretarium ſibi ſciant a nobis licentiam contributam. Datum 8. Id. Jun. *Raven.* LUCIO V. C. CONS. 413.

Ut Proximatus trium ſcriniorum annuus ſit.

6. Iidem [18] AA. & VALENT. A.

PRo biennio [19] annum ſolum agere deinceps decernimus eos, qui in tribus ſcriniis, memoriæ, epiſtolarum, libellorumque ordine ac merito ſtipendiorum ad gradum pervenerint proximorum. Datum 8. Id. Februar. CP. THEOD. A. VII. & PALLADIO CONSS. 416.

De ſucceſſione in locum defunctorum.

7. Impp. THEODOS. [20] & VALENT. AA. Nomo Magiſtro officiorum.

UNicuique [21] qui in ſacris ſcriniis militat, ſui loci merita ſervari [22] oportere conſtituimus, & univerſos, qui ultra numerum ſtatutorum [23] in iiſdem ſcriniis militant, ſui gradus reſpectu, per [24] ordinem, quem ſortiti ſunt, in deficientium ſtatutorum locum (ut tamen ultimis ſocientur,) ſubire decernimus, ſcilicet ut nemini penitus liceat, cum ſit poſterior tempore, locum præcedentis ambire [25], niſi forte ab eo, qui tempore [26] vincitur, laborum comparatione ſuperetur: ut quindecim primatum [27] ejuſdem ſcrinii teſtimonio cum ſacramenti religione ſubnixus præcedentibus dignior judicetur. Hanc quoque obſervationem extra filios proximorum volumus cuſtodiri: etenim unicuique [28] proximo unum de ſuis filiis, qui temporis dumtaxat ſuffragio nititur, (licet parum obſervaſſe militiam cognoſcatur,) inſequentibus tempore, qui laborum meritis muniuntur, anteferri poſſe decernimus. Illum [29] tamen, qui locum ſtatuti [30] meretur: proximo quidem ducentos quinquaginta ſolidos [31], mello proximo [32] vero, vel adjutori pro conſuetudine uniuſcujuſque ſcrinii viginti, aut quindecim ſolidos offerre præcipimus. Quod ſi quis de ſupernumerariis, qui in ſtatuti locum ſubire debuerat, ne pecuniam offerat, ſtatuti etiam gradum recuſare voluerit, ſequenti tam offerendæ quantitatis prædictæ, quam ſubrogandi licentia permittatur [33]: ita videlicet, ut ſi ſecundus, vel etiam tertius, vel alterius cujuslibet numeri, in eadem excuſationis voluntate duraverit: accedenti [34] ſemper eadem copia, quam præcedens recuſaverit, tribuatur. Hos autem, qui ad ſtatutorum ordinem progredi noluerint, nec de ſuo gradu volumus removeri: & cum vacaverit ſtatuti locus, conditionem, quam antea repudiaverant, id eſt & offerendæ pecuniæ, & adipiſcendi ſtatuti locum, liberam habere præcipimus [35] facultatem.

De militia peracta.

8. Iidem AA. Nomo Magiſtro officiorum.

PRoximos [36] ſacrorum ſcriniorum, quos fides, ac diuturnæ obſervationis induſtria, litterataque [37] militia [38], comitem quin etiam diſpoſitionum, quem probitas ac ſtrenuitas merito commendant: completo tempore ſuæ militiæ, Comitivæ ſacri noſtri conſiſtorii cingulo in diem vitæ potiri (manentibus videlicet jamdudum præſtitis [39] ſalvis [40] privilegiis propriis [41]) decernimus. Quibus enim pietatis noſtræ arcana [42] merito committuntur, his pietas noſtra vitam cingulo ſupradictæ Comitivæ ornandam, decorandamque decrevit.

De commeatu & de vacatione munerum.

9. Imp. LEO A. Patricio Magiſt. offic.

IN ſacris noſtris ſcriniis militantes, per commeatum [43] non continuatim præſtitum [44] ante conventionem profecti, intra indultum temporis ſpatium erunt cum ſuis conjugalibus [45], & liberis a conventione ſecuri [46], ab indictionibus etiam publicorum & civilium munerum etiam poſt completam militiam excuſatione potiantur, ſuper domibus quoque quas in provinciis poſſident, metatorum moleſtia liberentur.

De numero memorialium. 1. *Ne quis duplici fungatur officio.*

10. Idem A. Hilariano Comiti Magiſtro offic.

HAc parte ſtatutos memoriales præcipimus eſſe in ſcrinio quidem memoriæ ſexaginta duos, epiſtolarum vero triginta quatuor: [libellorum [47] quoque triginta quatuor:] antiquarios vero, qui habentur in ſcriniis memoriæ, nunquam minus eſſe quatuor. §. 1. Supraſcripti autem memoriales nullo modo [48] duplici fungantur officio, nec [49] geminis chartis irrepſerint [50], ut non occupentur [51] plura in unum ſe commoda collaturi, nihilque reliquis relicturi.

De ſalario defuncti.

11. Imp. ANASTASIUS A. [52] Euſebio Magiſtro officiorum.

SI quis in ſacris noſtris ſcriniis, id eſt memoriæ, diſpoſitionum, epiſtolarum & libellorum, ſtatutis jam connumeratus, ab hac luce fuerit ſubtractus: ab eo quicunque, utpote vacante loco de ſubſtitutis [53] in ſtatutorum conſortio fuerit ultimus ſubrogatus, pro [54] ſolatio, vel ſuffragio [55] proximi [56], definitam ſacræque conſtitutioni divæ memoriæ Theodoſii, & Valentiniani [57] Principum [58] inſertam quantitatem defuncti [59] heredes, & ſucceſſores [60], vel liberi ejus, ſeu creditores, qui fœnus cum mortuo pro ſtatuti loco ei acquirendo contraxerint, conſequantur: ita ſcilicet ut ſi [61] hereditas, vel ſucceſſio defuncti minime fuerit ſuſcepta, vel adita, tales perſonæ, id eſt creditores quidem contra cæteros prærogativa ſibi ſervata: liberi autem, vel agnati, ſeu cognati, non hereditatis, ſed privilegii [62] nomine ſimili modo hujuſmodi ſummam percipiant: ſibique petere ac vindicare permittantur: nullius machinatione hujuſmodi noſtra diſpoſitione retractanda, ſeu violanda: maxime cum Viros etiam pro tempore Spectabiles eorundem Proximos ſcriniorum, ſi quis eorum ante completum Proximatus actum morte præventus ſit, ad heredes ſucceſſoreſque ſuos reſidui [63] temporis Proximatus ſolatia ſine quadam imminutione tranſmittere non dubitetur.

De foro competenti, & de cautione præſtanda, & de ſportulis.

12. Idem A. Celeri Magiſtro officiorum.

IN ſacris ſcriniis militantes, & parentes atque uxores eorum, necnon liberos ex ſententia tantummodo tuæ Celſitudinis criminales, & civiles intentiones agentium excipere jubemus: inſuper etiam colonos, ſeu adſcriptitios, & ſervos eorum in hac Regia Urbe degentes, eodem beneficio potiri: fidei pro tempore Adjutoris Viri Spectabilis proximi, vel unius ex ſtatutis committendos, ita ut [64] ſi in provincia quicunque memorialis [65] repertus fuerit, juratoriæ [66] cautioni committatur: ut etſi non poſſideat immobilem ſubſtantiam, ſervi nihilominus, &

---

1 Silentiariorum privilegia. 2 Pragmatici. 3 Ad comitatum principis omnibus paſſim venire licuit. Licuit vero, vel ſingulari privilegio, *ut hic*, vel evocatoria, hoc eſt evocatis. 4 *Severitatem*, *in exemp. Victor.* 5 Numinis. 6 Silentiarii, non plures, ſed & eorum decuriones non plures tribus inter viros illuſtres ſenatores referri poterant, ſi per tredecim continuos annos excubias egiſſent. 7 Illuſtres fuere ſenatores. 8 Honorariæ. 9 Et privilegia. 10 *Al.* XXX. 11 Silentiarii excubias agebant in conſiſtorio principis, ſtantes ad limina. 12 *Al.* Idem A. 13 Tracti. 14 Forum ſilentiarii & miniſteriales omnes ſortiuntur apud magiſtrum officiorum, *ut hic*, & *l. ult.* J. *de caſtrenſian. & miniſterianis.* 15 Anaſtaſius *recte*, *al.* Juſtinianus. 16 Polycarpo P. Prætorio. 17 Silentiarii clariſſimi hic dicuntur, qui alio loco ſpectabiles: *Goth.* Similiterque tribuni notarii ſpectabiles, *l.* 2. *ſupr. de primic. l. neque. ſupr. de dec. clariſſimi*, *Nov.* 8. & 13. & *l. reſtituendæ. ſupr. de adv. div. judicum.* nec aliter magiſter cenſus, qui deinde appellatus eſt γενικός, auctore Leone *Nov.* 44. vir clariſſimus appellatur in *l. ult. ſupr. de jur. emph. l. conſulta. ſupr. de teſt. l. ſecundum. ſupr. de don.* vir perfectiſſimus. *l. orphanotrophos.* S. *de epiſc. & cler.* Mod. Quæ varietas multis dignitatibus accedit, creſcentibus, vel minutis dignitatibus pro arbitrio principis & ipſa rerum acceſſione vel deceſſione. Cætera vide hic apud Cujacium divini juris & humani omnium denique, nullis exceptis, ſcientiſſimum. 18 *In genitorum ſuorum.* delendum eſt igitur poſtea, *in.* 19 Militia ſilentiariorum vendi poteſt. vide *Nov.* 53. *c.* 5. 20 Silentiarii a tutelis & curationibus immunes. *l. ult. ſupr. de excuſat. tutor.* 21 Præturæ.

22 *Eclog. lib.* 6. *tit.* 28. 23 Domeſticos arcanorum principis conſcios Alciatus hic exponit falſo. Protectores milites ſunt, qui latus principis apertius protegunt. Domeſtici eodem munere protegendi funguntur, ſed familiarius id faciunt, quam protectores. Socrates 1. *cap.* 13. Suidas, Zonar. *in Diocletiano.* Goth. Adde Cujac. *hic* & Turneb. *lib.* 15. *obſerv. cap.* 16. S. L. 24 *Al.* Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Euſignio P. P. 25 Differentiam eſſe inter domeſticos & protectores *ex Cod. Theod.* conſtat *h. tit. lib.* 6. & 9. quibus conſtituta de domeſticis trahuntur ad protectores, ex his autem alii erant pedites, alii equites. *l. ult.* J. *hoc tit. l. reſtituendæ. ſupr. de adv. div. judicum.* Mod. 26 Oſculum principis ſummi honoris loco habebatur. adde *l.* 2. *ſupr. de fabricenſibus. lib.* 11. *tit.* 9. Goth. Et notat. *l.* 1. *ſupr. de præpoſit. Sacri Cubiculi. h. lib. tit.* 5. Anſ. 27 Sacrilegii tenentur, qui honorem non deferunt contingentibus purpuram principis. 28 Exiſtimati. 29 *Al.* P. P. 30 Primicerii fuerunt in ſchola domeſticorum & protectorum, hoc eſt, primi. 31 Schola domeſticorum diverſa. 32 Acceptum. 33 Potiatur. 34 Agere. 35 Conſulares, clariſſimi. 36 Decemprimi ſenatoriam dignitatem, veluti exconſulares adipiſcuntur inter allectos: ita tamen, ut onera ſenatoria non agnoſcant exemplo ſenatoriorum. 37 *Regradetur*, *in vet. lib.* & *l.* 2. *C. Theod. de curſu publico. l.* 1. J. *de privileg. ſchol. h. lib. tit.* 30. 38 *Aberraſſe*, *in vet.* & ſequentia ſine parentheſi leguntur, & abeſt *eſſe.* 39 Al. *Anaſtaſius.* 40 Præſentales domeſtici, qui in præſenti ſunt comitatu. dixi ad *l.* 6. *ſupr. de advocat. diverſ. judicum. Edict.* 3. *cap.* 3. παρασατίμοι. 41 Domeſticorum alii equites, *ut hic*, & *l. reſtituendæ.* 6. S. *de advoc. diverſ. judicum.* Caſſiod. 1. *Variar.* 42 Sic in exempl. quodam noſtro ſcripto legitur, recte al. *ſecundi primicerii*, ſed perperam. 43 Secundicerii in ſcholis fiebant ex tertioceriis: primicerii ex ſecundiceriis: verbi gratia, qui hoc anno tertiocerius, ſequenti ſecundicerius, tertio primicerius. Primicerius autem fere biennalis. 44 Gradus in ſcholis fuere. 45 Salarium integrum totius anni defuncto officiali debitum heres conſequitur. *l.* 11. J. *de proximis ſacrorum ſcriniorum. hoc lib. tit.* 19. *l.* 3. J. *de agentibus in reb. hoc lib. tit.* 20. *l.* 1. J. *de primipil. h. l. tit.* 63. *l. poſt duos. in fin. ſupr. de advocat. diverſ. judic.* Imo & ſequentis anni: ut hic in domeſtico & protectore, quod ut ſingulare Bart. Raynaldus, Albericus, Angelus, & Baldus notant, adde *l. diem functo.* 4. *ff. de officio adſeſſ. fac. l.* 1. §. *divus.* 13. *ff. de variis & extraord. cognit.* Quid ſi quis privatus operas locavit, & antequam operas præſtaret, mortuus fuerit? ſalarium non debetur. *l. ex conducto.* 15. §. *cum quidam.* 6. *ff. locati.* Quid ſi officialis ingreſſurus civitatem in itinere ipſo deceſſerit? Quidam negant ſalarium deberi. Alii expenſas itineris ejus heredibus ſaltem præſtari oportere. *arg. l. ſi pecuniam.* 5. *ff. de condict. ob cauſam.* Bartolus putat ſalarium deberi in *d.* §. *divus.* Quid ſi qui officium geſſit alias incapax fuit? vel hoc etiam caſu ſalarium deberi, Baldus ait, movetur, quod procuratori ſalarium etiam debeatur, etiamſi mandatum ejus nullum fuerit. vide Corſet. *ſingular.* ſalarium. 46 Al. *prolixius.* 47 Similes habeantur. 48 Permanſerit.

49 Labarorum. vide Cujacium *hic*, eſt autem *Labarum* magnum vexillum quod Imperatori præferri ſolebat, & a militibus pene adorabatur, hujus meminerunt Prudentius *priori lib. in Symmach.* Tertull. *in Apolog. cap.* 16. & *alii plerique*, *Galli vocant*, la Banniere, l'Auriflam. 50 Labarorum. 51 Electos. Allecti ita dicuntur, qui a principe advocati negotii publici cauſa, *l.* 12. *in fin. ſupr. de excuſat. muner.* ſunt & quidam ſuſceptores, qui rationes publicas ſcribebant. *l.* 11. *l.* 12. *l.* 17. *C. Theod. de ſuſcept. l.* 2. *C. Theod. de quæſtion.* Juſtinianus in pragmatica ſanctione *cap.* 18. *Theodoric. Edict. cap.* 148. Sidonius *epiſt.* 7. Invident arcanis pondera, menſuras allectis. Annianus ad *l.* 1. *C. Theod. de Epiſcop.* nec exactores, nec allectos facere. 52 Vide quæ ſcripſi ad *l. ult. ſupr. de præfectis prætorio. hoc lib. tit.* 4.

53 Περὶ τῶν ἐν τοῖς σκρινίοις ὑπομνημάτων ϛρατευομένων, de his, qui in geſtorum ſcriniis militant. *Synopſ. Baſil.* 6. *tit.* 28. 54 Quatuor ſunt ſacra *ſcrinia*, memoriæ, epiſtolarum, libellorum, & diſpoſitionum: in illis enim adnotationes, vel pragmaticæ ſanctiones, cognitiones, preces, vel reſcripta principis eduntur, reponuntur & ſervantur. *l. ult. ſupr. de aquæduct.* 55 Diœceſis. 56 *Pars l.* 3. *ſupr. de off. diverſ. jud.* 57 Ordinarii qui & ἐμϐαθμοὶ, Præſides ſunt provinciarum, ſub quorum cura una tantum provincia eſt. adde *l. ult. ſupr. de modo multarum*, *l. omnes.* 33. *ſupr. de epiſcopis & clericis. Nov.* 20. *cap.* 3. 31. *cap.* 1. quaſi infimi ordinis, ut ordinarii milites, hoc eſt, gregales & manipularii: minores erant vicariis: de quibus dixi *l.* 1. §. 4. *ff. de legat.* 3.

1 Spectabiles judices. 2 A ſalutatione. 3 Arceant, & *poſtea* accipiant. 4 a. 5 *Si honoratis viris quibus etiam conſiſtorium noſtrum ingrediendi facult. præbetur ſecretarii &c. d. l.* 3. 6 XXX. 7 Exconſulibus. 8 *l.* 14. *C. Th. h. t.* 9 Ut patrimoniorum eorum qui &c. 10 *l.* 9. J. *h. t. l.* 1. *l.* 2. *infr. de privilegiis eorum, qui in ſacro palatio milit. hoc lib. tit.* 29. 11 Venalitium, vectigal rerum venalium, quod exigebatur a venditore ob venditionem proponendam, *ut hic*, & *l.* 1. J. *de veteranis hoc lib. tit.* 47. fuit autem mancipiorum venalium 25. aut 50. *Tacit.* 13. *Dionyſ.* 55. cæterarum rerum vectigal, 100. *Tacit.* 1. quam ad ducenteſimam poſtea redegit Tiberius. *Tacit.* 2. Poſtea ad 300. auctionum Italiæ provinciis remiſit Gajus Caligula. Sueton. *cap.* 16. Quanquam in eo, quod de Tiberio diximus, diverſus ſit Dion. 57. & 58. refert enim Dion. 200. pro 100. a Tiberio invectam, at deinde a Caligula ſublatam 100. Aut de converſis jam moribus Tiberii loquitur Dion, aut certe verior Taciti & Suetonii narratio. adde 6. *Cujac.* 28 12 Dignitatis. 13 Tyronum præbitio & præſtatio olim in muneribus publicis fuit. *l.* 18. §. 3. *ff. de muneribus.* adde Veget. 1. *cap.* 7. 14 Ad hunc. 15 Militant. 16 Al. *Fauſto.* 17 *l.* 16. *C. Theod. h. t.* 18 Al. *Iidem AA. Euſtathio V. C. Quæſtori & Heliconi V. I. magiſtro officiorum.* 19 *l.* 11. J. *de palatinis ſacrarum largitionum. h. lib. tit.* 24. 20 *Sic ait legendum* Taurellus lib. de militiis ex caſu *argum. l.* 11. J. *hoc tit.* Cont. 21 Militantes in ſcrinio ultra numerum loco deficientium ſuccedunt ſecundum ordinem gradus ſui. *Bart.* 22 Servare. 23 In ſacris ſcriniis alii ſunt ſtatuti, alii ſupernumerarii. 24 *l.* 2. *ſupr. de officio magiſtr. offic. l.* 1. *ſupr. de munerib. patrimon. lib.* 10. *tit* 41. *l. ult.* S. *de primicerio, h. lib. tit.* 7. *l.* 1. J. *de agentib. in reb. h. l. tit.* 20. *l.* 1. J. *de caſtrenſ. & miniſt. h. l. tit.* 26. & *l. ult.* J. *de tyronib. h. l. tit.* 44. *l.* 11. *l.* 14. §. *gerendorum*, 5. *ff. de munerib. & honorib.* 25 In locum præcedentis abire. 26 Vide quæ ſcripſi ad *Novell. Leon.* 41. 27 Quindecim primatus dicitur, ut decem primatus. 28 Cuique. 29 Illi. 30 Statutum. 31 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 11. J. *h. t. l.* 30. *in fin. ſupr. de inofficioſ. teſt.* 32 Mello proximus eſt, qui ſecundum locum tenet, & futurus eſt proximus: adjutor vero eſt proximi adjutor. Alciat. & Cujac. *hic.* 33 Promittatur. 34 Accedendi. 35 Concedimus. 36 Magiſtri. 37 Militia literata eſt eorum, qui proximi ſacrorum ſcriniorum ſunt, *ut hic*, & in literarum præſidiis militant. *l.* 1. *C. Theod. de prox. com. diſp.* 38 Literatam militiam dici a literis pingendis ſeu ſcribendis, Duarenus tradit *lib.* 1. *diſput. cap.* 3. an quia primis temporibus tanti fuit ſcribere poſſe? 39 Præſtitutis. 40 *l.* 3. S. *de dignitatib.* 41 Proximis. 42 Principis arcana committuntur proximis ſacrorum ſcriniorum. 43 Commeatus eſt libera proficiſcendi licentia. 44 Præſtitutum. 45 Conjugales uxores. 46 *l.* 4. *ſupr. h. t.* 47 Incluſa deſunt in quib. lib. Antiquarii autem ſunt Alciato, qui antiquarum rerum memoriam principi ſuggerunt: aut potius librarii & ſcriptores librorum. *l.* 2. *Cod. Theod. de ſtud. liberal. urb. Rom.* Sidonius 9. Auſon. *Epiſt. ad Probum*, Auguſt. *de verbis div. Hieron. ad Florentinum.* 48 Duplici officio fungi quis prohibetur. adde *l.* 5. *infr. qui militare. hoc lib. tit.* 34. 49 Ne geminis. 50 Irrepant. 51 Aucupentur. 52 *Al.* Imp. Zeno A. 53 *l.* 7. §. *illum tamen.* S. *h. t.* 54 Quæſtoris ſacri palatii adjutore uno mortuo, militia defuncti ad defuncti liberos tranſmittitur, etiamſi non ſint heredes. *Novell.* 35. Quid ſi minus idonei militiæ ſint liberi defuncti? Qui in locum defuncti ſubrogabitur, heredibus aut liberis defuncti centum ſolidos præſtare cogetur, *ut hic*, & *l.* 7. *ſupr. h. t. l. omnimodo.* 30. *in fin. ſupr. de inoffic. teſtam. Novell.* 35. quæ præſtatio ſcholæ placitum. *l. ult. ſupr. de pignorib. & hypoth.* caſus militiæ. *Nov.* 53. 57. Julian. Patrit. *ad Novell.* 35. 55 Vid. quæ notavi ad *l.* 102. §. 2. *ff. de legat.* 3. 56 Proximo. 57 *Intelligit l.* 7. *ſupr. h. t.* 58 Ut principum. 59 Diem functi. 60 Salarium integrum defuncti ejus heredibus interdum debetur. adde *l. ult.* S. *de domeſticis h. lib. tit.* 17. ubi dixi. *l. diem functo.* 4. *ff. de off. adſeſſ. l.* 19. *in fin. ff. locati.* 61 Patris jura filii interdum conſequuntur, non ut heredes ejus, ſed jure ſingulari: adde *l.* 1. §. *ſed & ſi ſub conditione.* 7. *ſupr. de Latina libertate.* 62 Liberi ut & uxor defuncti militis præferuntur creditori: non hereditatis (licet enim heredes non ſint, in caſum militiæ veniunt) ſed privilegii & principalis liberalitatis nomine, *ut hic*, niſi ſi pecunia creditoris militia comparata ſit, hoc enim caſu creditor præfertur uxori & liberis defuncti. adde *Novell.* 53. *c.* 5. 63 *l. ult.* S. *de domeſt. & protectorib. h. l. tit.* 17. 64 Sed ita, 65 Memoriales juratoriæ cautioni committuntur. 66 Juratoriæ cautioni qui committantur, vid. in *l.* 25. *ſupr. de epiſc. & cler. l.* 17. *in pr.* S. *de dignit. l.* 4. §. *ult.* J. *de caſtrenſ. & miniſterian. h. l. tit.* 26. *l. ult. verſ. ne tamen.* J. *de privileg. ſcholar. h. l. tit.* 30. *l.* 16. *ff. qui ſatiſd.* §. *ſed hodie. Inſtit. de ſatiſd.* adde *l.* 2. §. 6. *ff. de judiciis.*

coloni ad eum pertinentes, fidei ejus tradantur. §. 1. Modum inſuper ſportularum [1] ad mediocrem deduci quantitatem; & executoribus de ſchola Agentium in rebus attribuendis [2], unum ſolidum ſingulos usque ad finem negotii; proque ingreſſu in judicio tuæ Magnitudinis quolibet modo faciendo, duos ſolidos, & pro editione geſtorum exceptoribus dimidiam ſolidi partem: & ſi apud arbitrum negotium ventilari contigerit, ipſi quidem arbitro unum ſolidum, & nihil amplius: exceptoribus autem eum obſervantibus, tam pro ipſo, quod implere videntur, miniſterio, quam pro editione geſtorum, ſeu relationis, vel definitionis, tertiam partem ſolidi præbere ſancimus: nec pro tempore Virum Spectabilem fiſci Patronum, vel Executores [3], quibus imminendi [4] litibus ſolicitudo injuncta eſt, quicquam ab eis exigere [5], ſeu profligare [6] concedi: dimidia ſcilicet expenſarum, quas in judicio tui Culminis a memoratis perſonis præberi ſtatuimus, portione in Judiciis Provincialibus ab his agnoſcenda: ita ut ſi de civilibus annonis, vel tutela, ſeu curatione, vel novi operis nunciatione litem eos ſubire contingat: in majore quidem judicio ad ſimilitudinem ſumptuum, quos in [7] judicio Eminentiæ tuæ dependere præcepti ſunt, apud Virum [8] Clariſſimum Præfectum annonæ, ſeu fiſci Patronum Urbicariæ Magnificæ Præfecturæ, vel Architectos [9] pro modo eorum, quæ ſuper arbitris, & litibus apud eos exercendis ſuperius ſtatuta ſunt, ſolventes expenſas, nihil amplius agnoſcere ſeu dependere cogantur.

§. 2. Quæ omnia cuſtodiri jubemus, ſive per ſe, ſive per Procuratores, aut etiam Defenſores lites exercere maluerint: Hoc, ſi prolata ſcriptis ſententia moniti ſunt. §. 3. Si vero ex depoſitione, ſeu aliter quis eorum conventus fuerit, nihil eum, vel ſcrinio Viri clariſſimi Adjutoris, vel cuilibet alii nomine ſportularum offerre compelli: omnibus antelatis privilegiis, quibus poſtea per anteriores divorum Principum ſanctiones defenduntur, in perſona [10] tam eorum, qui adhuc militant, & qui poſtea eandem militiam ſortiti ſunt, quam eorum, qui prædictam militiam gradu vacante [11] jam depoſuerunt, vel poſtea depoſuerint, ſervandis: ut eorum commodo ipſi quoque una cum uxoribus, & liberis, colonis præterea, & ſervis propriis, perfruantur.

§. 4. Et quoniam in controverſiis [12], quas in judiciis moveri contigerit, æqualitatem litigatoribus volumus ſervari, & adverſariis eorum: pro ſumptibus, & expenſis ſimilem antelatorum beneficiorum prærogativam cuſtodiri. Propter hanc etenim cauſam, & viros devotos Memoriales, non tantum agendo in quolibet judicio, ſed etiam actiones ab aliis ingerendas excipiendo, privilegiis a nobis indultis potiri decernimus: his videlicet, qui militiam Virorum devotiſſimorum Memorialium gradu ſolito depoſuerunt, [ſeu [13] depoſuerint,] etſi quietis amore per Provincias domicilium fovere maluerint, omnibus nihilominus privilegiis, quæ hujusmodi perſonis per ſacratiſſimam legem nuper promulgatam a noſtra liberalitate præſtita ſunt, muniendis, & eorum commodis, atque auxilio potituris.

De numero adjutorum.

13. Imp. JUSTINIANUS A. Proculo Quæſt. [14] ſacri palatii.

COmperimus divinitus quidem pridem fuiſſe diſpoſitum, Viros Devotos Adjutores [15] tuæ Magnitudinis, certos [16] eſſe in numero, nec ad hujusmodi nomen, vel operam plures licitum eſſe adſpirare, quam in ſcrinio quidem ſacræ memoriæ duodecim tantum: ſeptenos vero in duobus [17] reliquis ſcriniis, id eſt, ſacrarum epiſtolarum, ſacrorumque libellorum: ſed poſterioris licentiam temporis ſupra modum indulgendo ambitionibus, diſturbaſſe rei merita, ac multitudine divulgaſſe: ut inter Memorialium, & Adjutorum numerum non longum pene interſit. §. 1. Sancimus itaque reduci eis, ac renovari ſtatutum ordinis terminum, non ut eximantur Adjutoribus [18] hi, qui præter prædictam [19] diſpoſitionem in præſenti exuberant: ſed ut interea omnibus aliis interdicatur ab adfectando hoc nomen, donec exeuntibus ſingulis, ac recedentibus decreſcere poſſit vetita conglomeratio, legitimusque jam reſideat numerus: non prohibendis Viris Devotis Adjutoribus deſiſtentibus [ab] eodem officio, cum vel ad laterculenſis [20] gradum in ſcrinio ſacræ memoriæ provecti fuerint, vel ſecundum locum obtinuerint, in duobus aliis ſcriniis, poſtquam proximi creabuntur, licet nondum redacta ſit quantitas priſtina, tamen alios pro ſe, quos elegerint, ſubrogandos Adjutores petere, qui poſteriores erunt cæteris. §. 2. Illud etiam diſponendum duximus, utpote nonnullis anterioribus exemplis ſubnixum, nec non juſtitiæ congruum, ut ab his, quibus conceſſum eſt Adjutorum agmini pro ſe ſociare: libellus [21] offeratur Viro Illuſtri pro tempore Quæſtori, petendaque ejus ſubſcriptio, tempus, atque hominem, necnon etiam rem ipſam continens: id eſt, quod inter adjutores ei, quem pro ſe ſurrogat, mereri permiſſum eſt: ordinandis videlicet iiſdem Adjutoribus pro ratione temporum, quibus libelli porrecti ſunt, ut etiamſi [22] [in] Memorialium [23] matricula [24] inferiore loco [25] ſit, qui prior in Adjutoribus meruit, Adjutor quidem habeatur ſuperior: memorialis vero poſterior pro utriusque ordinis modo, vel diſcrimine: quod etiam in aliis quoque pene omnibus officiis obſervari dignoſcitur.

De adjutoribus conveniendis. 1. De commeatu. 2. Ne alius Adjutor addatur.

14. Idem A. Tatiano [26] magiſtro officiorum.

HAc lege ſancimus, ſi quando Adjutores Viri Magnifici pro tempore Quæſtoris ſacri noſtri palatii, in accuſationem [27] civilis cauſæ, vel criminalis deducti fuerint, ſtrictum juris, & integritatis congruum ordinem conſervari: ut ſi ſine ſcriptis conveniendi ſint, nomen ejus præcipientis ore deſignatum eſſe ſufficiat. Sin autem ſcriptis in querimonia unus Adjutorum, aut plures forte ferendi [28] ſint, monumenta ſententiarum in perſona tantummodo conveniendi Adjutoris præcedentium, æquum & juſtum initium futuro præſtent certamini.

§. 1. Et quoniam probationibus, & exemplis potius quam indecoræ conſuetudini deceat indulgeri: quod in univerſo Devotiſſimorum ſcrinio Libellenſium eviciſſe monſtratur, id in Adjutores ſacræ memoriæ, ſacrarum etiam epiſtolarum transferendum cenſemus: ut qui liberam proficiſcendi licentiam pronunciatione commeatus indepti fuerint, ſine qualibet ſtipendiorum, aut emolumentorum deductione peregre degant: etenim pro tempore Viris Clariſſimis Proximis & Mellopronimis, aut eorum Adjutoribus, abſentiæ cauſa vel offerre de ſuo proprio, aut ex annonis, ſeu ſtipendiis quicquam relinquere cogendis: quamvis Januar. Kal. indultum excedat ſpatium, & intra ſe ſeſtum diem contineat. §. 2. Ad hoc illud obſervari ſancimus, ne alius Adjutor propter quamcunque ambitionem his, qui in præſenti ſunt, vel poſt eorum deminutionem addatur, licet in veterem numerum redacti fuerint.

Ad ſuperiores leges Juſtiniani.

15. Idem A. eidem Tatiano Magiſtro officiorum.

CErtæ quidem ſunt diſpoſitiones noſtri Numinis, quas ſuper adjutoribus [29] Viri Illuſtris pro tempore Quæſtoris noſtri palatii, quorum [30] obſequio res agitur Quæſtoria, dedimus: quarum prima quidem ad ſupplicationem eorundem Adjutorum emiſſa, numero eorum, qui erant illo tempore, [illegible] neque aliquem eximi, neque addi præcepit, præterquam [31] ſi quis eorum, vel ad Laterculenſis gradum in ſcrinio ſacræ memoriæ, vel ad ſecundum locum in duobus aliis ſcriniis, id eſt, ſacrarum epiſtolarum, ſacrorumque libellorum, & cognitionum, provectus fuerit, nam his licere deſiſtentibus ab Adjutorum officio alios pro ſe, quos voluerint Adjutores ſurrogare, ultimum [32] locum in iiſdem Adjutoribus obtenturos, licet ſuperiorem in Memorialibus habeant. Altera [33] vero per ſacram pragmaticam facta eſt, per quam excelſæ memoriæ Viro Proculo ſuggerente [34] præcipimus illos etiam Adjutores poſſe in ſuum locum alios inducere, qui per aliquem fortuitum caſum minus implere ſuum officium valeant, veluti ſenium, vel morbum, vel aliam neceſſariam cauſam: quod ex ipſorum Adjutorum petitione idem magnificæ memoriæ Proculus ad nos retulit. Sed in præſenti ab aliis Memorialibus [35], tam in ſcrinio ſacræ memoriæ, quam in cæteris duobus, ſacrarum epiſtolarum, ſacrorumque libellorum & cognitionum relatio, adjici comperimus, deminutionem quondam Adjutorum impediri per memoratam pragmaticam ſanctionem: & inſuper venditionis quodammodo memorati officii locum introductum eſſe, quod ne de cætero fiat, præſentem ſanctionem ad tuam Magnitudinem mittimus: per quam jubemus illis tantum permiſſum eſſe ſecundum prius noſtræ Serenitatis reſcriptum, alios in ſuum locum ſurrogare, qui vel Laterculenſis gradum in ſcrinio memoriæ, vel ſecundum locum in aliis duobus ſcriniis adepti fuerint: ſecunda [36] noſtra ſanctione ſuper hoc capitulo de cætero ceſſante nullique [37] danda licentia eorundem Adjutorum, præterquam [ſi] ad memoratos gradus aſcenderit, alium pro ſe eiſdem Adjutoribus ex quocunque fortuito caſu connumerare: ut eo modo ad veterem numerum [iisdem] adjutores redactis: & duodecim quidem in ſcrinio ſacræ memoriæ, ſeptenis vero in aliis duobus ſcriniis conſtitutis, [illegible] ſint, id eſt, ſacrarum epiſtolarum, ſacrorumque libellorum & cognitionum. Illo videlicet obſervando, ne alius Adjutor propter quamcunque ambitionem his qui in præſenti ſunt, vel poſt eorum deminutionem (licet in veterem numerum redacti fuerint) addatur: nam ſi permutationem, licet fortuiti caſus inciderint, prohiberi diſpoſuimus: multo magis prioribus manentibus alios introduci vetamus: cæteris ſcilicet anterioris ſanctionis capitulis in ſuo robore permanſuris [38].

TIT. XX.
DE [39] AGENTIBUS [40] IN REBUS.

Nullus de numero Agentium in rebus mortui locum per pecuniam debet invadere. Bart.

1. Imppp. ARCAD. HONOR. & THEOD. AAA. Anthemio Magiſtro officiorum.

NUllus [41] de ſchola Agentium in rebus de cætero locum mortui conetur invadere, ſed is, qui ordine [42] ſtipendiorum, & laborum merito ad gradum militiæ ſequebatur, ſtatim atque illum fata ſubduxerint, in ejus præmia percipienda ſuccedat, omni objectione [1] ceſſante. Dat. prid. Kal. Jul. CP. HONORIO A. VI. & ARISTENÆTO CONSS. 406.

2. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Helioni [2] Mag. off.

NUlli [3] poſthac ſine noſtræ Majeſtatis auctoritate diſcingendi agentem in rebus, nulli eximendi [4] pateat copia: nam probata ſchola, & animadverſionem vereri [5] Judicis, & nullam timere debet contumeliam vilitatis [6]. Dat. 3. Id. Novembr. CP. HONORIO X. & THEODOS. VI. AA. CONSS. 415.

Matricula Agentium in rebus non debet eſſe niſi XLVIII. quorum quilibet præeſt ducentis.

3. Imp. LEO A. Patricio Mag. offic.

MAtriculam [7] Agentium in rebus a tua celſitudine confectam admittentes, jubemus, ne ducenarii [8] plusquam quadragintaocto in ſingulis habeantur in poſterum, & numerum centenariorum [9] ducenti viri, quos vacante [10] tempore gradus competentes admiſerint: parique modo biarchorum nomen, meritumque ducenti quinquaginta viri duntaxat: præterea circitorum trecenti, & equitum quadringenti quinquaginta impleant. Sit in æternum illa quoque fixa [11], ſtabiliſque tuæ ſublimitatis diſpoſitio: ut ſi quis de numero ducenariorum, quos quadragintaocto [12] quotannis eſſe cenſuimus, forſitan de luce migraverit, laborum [13] ejus fructum ſucceſſores ab inteſtato, vel ex teſtamento venientes, & lucrum diſpenſent, & ita [14] omnibus inter cæteros ſuperſtites potiantur ſolatiis, tanquam ſi vivus [15], qui hæc eadem diu ſperaverat, ſibimet vindicaſſet, qua de cauſa locum etiam ejus ſucceſſorum intuitu vacare conveniet. Nemo autem ſine divali probatoria [16], quam Codices in ſacro noſtro ſcrinio memoriæ poſiti debeant inſerendam accipere, militaribus ejusdem devotiſſimæ ſcholæ ſtipendiis, vel privilegiis potiatur [17].

4. Idem A. Patricio Mag. offic.

EX [eo] quo primum ducenæ, vel centenariorum gradum in ſchola Agentium in rebus militantes meruerint, deſinant in ſacratiſſima videlicet Civitate conſtituti alterius Judicis cujuslibet auctoritate pulſari [18], vel in alio quolibet examine, præterquam Viri Magnifici magiſtri officiorum [19], & cui forſitan ipſe conceſſerit, actionibus ſui quisque [20] adverſarii reſpondere, quod multo magis in criminalibus cauſis obſervari decernimus: abſurdum [21] eſt enim, ut in ejus ſalutem, vel exiſtimationem valeat quiſquam proferre ſententiam, cujus de nulla re poſſit pecuniaria judicare. Hujus autem beneficii prærogativam Subadjuvis [22] etiam, qui ſingulis inveniuntur temporibus, deferri jubemus, licet hanc in eorum perſona more quoque [23] veteri ſervari cognoverimus: ut tamen poſt depoſitum officium memoratum, ſi non inter centenarios numerentur, communi jam lege reſpondere non ambigant. Prædictas autem omnes centenariorum [24] perſonas in Provinciis repertas, conceſſa nunc ſpeciali fori prærogativa, (niſi publicæ executionis ſolicitudo his injuncta ſit) uti prohibemus: eoſque ordinariorum etiam Judicum pro veteri jure ſententiis obedire præcipimus.

TIT. XXI.
DE [25] PRÆPOSITIS [26] AGENTIUM IN REBUS.

1. Imp. LEO [27] A. Patricio Mag. officiorum.

AGentes in rebus, qui per ordinem conſequi ſolent Principatus inſignia in uno quoque ſcrinio fabricarum, & barbarorum [28] quaternos Subadjuvarum [29] ſolicitudine per annum duntaxat integrum procedentes, gradatim ſubire hac in æternum valitura lege decernimus: exceptis [30] videlicet univerſis negotiatoribus quibuslibet mercimonium per ſe gerentibus, interpoſitaſve perſonas: cum eis ante ſacratiſſimis conſtitutionibus interdictum ſit militare: exceptis nihilominus his, qui poſſeſſionum alienarum ſolicitudinem, procurationemve ſuſceperint: eos enim ad hæc officia volumus adſpirare, quorum labores ſcholæ Agentium in rebus teſtimonio comprobantur. Illi quoque ſunt ab hac liberalitate noſtræ Manſuetudinis excludendi, qui cum ſcholæ eidem ſocientur, in ſacris ſcriniis, quibus Vir Spectabilis [31] Primicerius, & Tertiocerius præſunt, adjuvantes eos publicarum chartarum tractatibus occupantur, & duobus [32] officiis operam ſuam adhibere non poſſunt: nam præter emolumenta, quæ de prædictis ſcriniis conſequuntur, Principatus etiam ſolatio debent eſſe contenti. Quod ſi morbo, vel ætatis ſenio capti, & imperiti hujusmodi rerum, vel quocunque alio vitio præpediti, per ſe memorati officii curam ſubire nequiverint: conſideratis præcedentibus eorum laboribus, per ſubſtitutum [33] Chartularium ejusdem ſcrinii, cui præfuturus [34] eſt ipſe, idoneum, & tam moribus optimis præditum, quam ſcientiam peritiamque rerum habentem electione ſua, ſuarumque periculo facultatum, præfatum [35] munus eos implere præcipimus.

2. Imp. ANASTASIUS Celeri Magiſtro officiorum.

HAc [36] ſaluberrima ſanctione decernimus, Agentes in rebus pro conventionibus, & modo ſportularum executoribus [37] præbendarum, pro quantitate ſumptuum, quæ circa litigia ſibimet ab aliis inferenda, vel a ſe contra alios per ſemetipſos, ſeu per ordinandos a ſe Procuratores exercenda, convenit ab his agnoſci: beneficiis, quæ in ſacro noſtro militantibus miniſterio [38] jampridem per divinas ſanctiones indulta ſunt, perpotiri: [&] fidejuſſorem idoneum de eadem ſchola, non autem extraneum offerre compelli: ita tamen ut privilegia quæcunque Centenariis, ſeu Ducenariis, vel Chartulariis, ſeu Viris Clariſſimis Principibus poſt depoſitam quoque militiam jam per diſpoſitiones principales impertita, & nunc usque obſervata eſſe noſcuntur, intacta inviolataque cuſtodiantur: cum perabſurdum, perque temerarium ſit, hanc noſtræ liberalitatem Pietatis quemquam aſtuta interpretatione non ad augmentum anteriorum privilegiorum, ſed deminutionem convertere concedi, ſimili videlicet forma pro matribus, & uxoribus eorum, nec non etiam liberis ſub eorum poteſtate conſtitutis, nec aliam ſortitis vel ſortituris militiam, necnon etiam ſervis ad eos pertinentibus, ſervandis: ita ut in Provinciis quoque ſupradictæ perſonæ degentes ſimili beneficio perfruantur: ſportulas tamen, & litium expenſas, pro tertia ſuperius enarratæ quantitatis parte ſoluturæ, denarum librarum auri condemnatione, aliaque graviſſima indignatione his feriendis, quicunque noſtra juſſa quolibet modo, ſeu tempore violaverint, ſeu violari conſenſerint.

TIT. XXII.
DE [39] PRINCIPIBUS [40] AGENTIUM IN REBUS.

1. Imppp. GRAT. [41] VALENT. & THEOD. AAA. Cynegio P. P.

AGentes [42] in rebus poſt palmam laboris emeriti, Principatus honore remuneramus, atque ideo officialis [43] tam ad neceſſitates publicas, quam privatas nonniſi [a] Principe mittatur [44] auctore, nullarumque [45] ſine ipſo cuiquam mandetur exhibitio perſonarum, etiamſi interceſſio [46] in locis degentis officii fuerit impertita. Cauſarum etiam patronos [ita [47]] volumus eſſe conventos, ne ignorante principe ullam poſtulationem introducant: neve ſub unius perſona ſuſcepti [48], fraude quadam aliena negotia inferenda eſſe pertentent: quod ſi fuerit definitio contempta, decem libras auri fiſco noſtro ab officio tuo jubemus inferri. Dat. prid. Kal. Mart. CP. HONORIO NB. P. & EVODIO CONSS. 386.

2. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Theodoro P. V.

OMnia [49] citatoria, omnium ſcil. cauſarum, atque perſonarum, licet ſint [50] Senatoriæ dignitatis, ad Principes [51] ſpecialiter revocari præcipimus: actus vero cæteros qui a [ſacratiſſimo] cœtu Senatus tractari conſueverunt, Cenſualium [52] ſolicitudine celebrari: nec aliquod præjudicium ex ſurreptitio reſcripto ſupplicibus inferri. Dat. 12. Kal. Jun. CP. OLYBRIO & PROBINO CONSS. 395.

3. Imp. [53] HONOR. A.

PRoconſularis [54] apicis dignitatis adjectione Principes [Agentium] in rebus præcipimus decorari. Dat. 7. Kal. Octobr. *Ravennæ*, VARANA V. C. CONS. 410.

4. Impp. THEOD. & VALENT. Valerio Mag. offic.

EX [55] Agentibus in rebus Principibus domeſticos in ſuis actibus habere liceat [56] eos, quorum fidem, induſtriamque probatam ſibi exiſtimant, etſi ſæpe eodem officio fuerint ante perfuncti. Et ſi quis agens in rebus poſt XXV. annorum curricula, ob adverſam corporis valetudinem, militiæ finem minime valuerit expectare, ſed ad honorariam ex Principe dignitatem teſtimonio ſcholæ proſiluerit, hiſdem eum privilegiis muniri cenſemus, quibus hi qui ad Principatus actum progreſſi ſunt, potiuntur. Sed in ſalutationibus Judicum, conſeſſibusque priores eos, qui per longæ militiæ metas ad Principatus actum pervenerint, etſi actus tempore poſteriores ſint, eſſe præcipimus: nihil Cenſualibus, vel apparitoribus adverſus privilegia eorum excogitantibus, tanquam in actu Principatus fuerint verſati: vicenarum librarum auri condemnatione contra eos propoſita. Datum 4. Kalend. Februar. CP. THEOD. A. XV. & qui fuerit nunciatus.

5. Iidem AA. Cyro P. P.

EOs, qui ordine tranſcurſa militia, poſt ducenam [57] ad deſideratum Principis pervenerint gradum, aut Adjutores Viri Illuſtris Magiſtri officiorum extiterint: cum inter honoratos cœperint numerari, Vicarianæ [58] dignitatis titulis decorari cenſemus.

6. Iidem AA. Nomo Mag. offic.

PRincipes Agentium in rebus, quos ſæpe ſæva pericula, vitæque interdum renunciatio ad memoratum gradum adduxit: completo [59]

---

1 Id eſt, ſumptuum, qui in litem faciendi ſunt. Cujac. *hic.* 2 Attinendis. 3 De quibus *l.* 33. §. *executor.* 5. *ſupr. de epiſcopis*, *l. ult. ſupr. de ſportulis*, *l. penult. ſupr. de fructib. & litium expenſis.* §. 24. *Inſt. de actionib. l.* 5. J. *de numerariis & actuariis. h. lib. tit.* 50. 4 Al. *minuendi.* al. *in minuendis.* 5 Poſcere. 6 Profligitare. 7 Forum militantes in ſacris ſcriniis ſortiebantur apud magiſtrum officiorum. 8 Apud virum autem. 9 Architectorum & mechanicorum æſtimatione & arbitrio in multis cauſis ſtatur de operibus publicis, privatiſque & ſervitutibus, *ut hic*, & *Novell.* 7. *c.* 3. §. 2. 10 Perſonam. 11 Vocante. 12 Cauſis. 13 Al. *deeſt.* 14 Quæſtor ſacri palatii erat is, quem nunc *Cancellarium* appellamus hodie. 15 Quæſtoris ſacri palatii adjutores certo numero, hoc eſt, viginti ſex erant, nimirum duodecim ex ſcrinio memoriæ: ſeptem ex ſcrinio epiſtolarum: totidem ex ſcrinio libellorum, *ut hic*, & *l. ult.* J. *h. t.* quos *ſacræ vocis miniſtros* vocat interpres *Novell.* 35. Deinde multo plures fuere. Verum antiquus hic numerus 26. reductus eſt *Nov.* 35. Cætera vid. *infr. h. t.* & *in l. ult. infr. h. t.* 16 Certo. 17 Scrinia quæſtoris tria, memoriæ, epiſtolarum, libellorum. *l. ult. infr. h. t.* 18 Militantes in ſacris ſcriniis memoriæ, libellorum, epiſtolarum, generali nomine memoriales appellantur, & ſunt adjutores potius, quam officiales, *ut hic*: licet *Novell.* 23. officiales dicat improprie. *Notitia Romani Imperii.* Quæſtor officium non habet, ſed adjutores de ſcriniis, quos voluerit. 19 Dictam. 20 Laterculenſis dictus eſt, quia laterculo præpoſitus. Duplex autem erat laterculum, majus & minus. Majus erat codex, qui totius imperii notitiam continebat: minus, in quo dignitatum civilium & militarium notitia continebatur: illud erat ſub cura Primicerii notariorum, hoc vero ſub cura & diſpoſitione Quæſtoris, ut conſtat ex notitia utriusque imperii & Cedreno, differt a palatio. 21 Quæſtoris adjutor intra ſtatutum numerum 26. adjutorum, alium poteſt in ſuum locum ſubſtituere conſentiente Quæſtore, vendito alii loco militiaque ſua. Quin & militiam ſuam tranſmittere in heredes extraneos poteſt, dummodo inferat pro introitu ſolidos centum: & hoc eſt quod ait *l. ult.* §. *de pign.* militias transferri in heredes ſub certa pretii definitione. Pretium autem eſt 100. au-

reorum: nec pluris eum vendere poſſunt adjutores. *Nov.* 35. [illegible] 23 *l.* 5. *ſupr.* [illegible] *domeſticis &* [illegible] γραφὴ τῶν [illegible] 27 Al. *accuſatione.* 28 Ferendi. [illegible] 30 Memoriales [illegible] diverſis ſcriniis [illegible] rem denique [illegible] *l. eos.* 11. §. [illegible] *l.* 5. J. *qui* [illegible] cipiebant & [illegible] ita numerus [illegible] ſint adjutores [illegible] niis mellopronimos [illegible] tio quantolibet [illegible] ca ſit de conſtitutis [illegible] notatione, [illegible] *tit.* 12. [illegible] 37 Nulli danda [illegible]

39 *L.* 6. *C. Theod.* 27. [illegible] *Magiſteriani* [illegible] & 124. [illegible] junge *l.* 2. *ſupr.* [illegible] *h. lib. tit.* 19 [illegible]

reorum

1 *Obreptione*, in *vet. lib.* 2 Al. *Heliodoro.* 3 *l.* 17. *C. Theod. hoc tit.* 4 Exeundi. 5 Al. *veteris.* 6 Al. *Utilitatis.* 7 Vide *in hanc legem* Pyrrhum & Alc. 8 Agentium in rebus alii primarii, ſenatores, ducenarii, centenarii, biarchi, circitores, equites, tirones. *l.* 1. *l.* 3. *ſupr. de off. magiſt. offic. l.* 1. J. *de priv. ſchol. h. lib. tit.* 30. *l.* 2. §. *de off. P. Prætorio*, *l.* 2. *C. Theod. de filiis milit. apparit. l.* 3. J. *de filiis off. h. lib. tit.* 48. Notitia imperii. Hieronym. *adverſ. Joan. Hieroſol.* 9 Centenarii qui, dixi ad *l.* 5. J. *de princ. agent. in reb. h. lib. tit.* 22. 10 Vocante. 11 Præſumitur, pro matricula. vid. Alciat. 3. *præſumpt.* 17. 12 10. *al.* 8. 13 Vide *l. ult. ſupr. de domeſticis & protectorib. h. lib. tit.* 17. 14 Ita ut. 15 Si unus. 16 Probatione vide *l.* 9. J. *de diverſis officiis. h. lib. tit.* 60. 17 Potiantur. 18 Pulſari apud alium, quam hunc vel illum judicem, prohibitus, non modo in civili, ſed & in criminali apud alios judices conveniri non poteſt. Corſetus *ſingulari ſtatutum ſtatuto cavetur.* 19 Forum, agentes in rebus ſortiebantur apud magiſtrum officiorum poſt ducenæ & centenæ gradum. 20 Quiſquam. 21 Argumentum a minori ad majus. Qui minus non poteſt, majus non poteſt. 22 Prærogativam his etiam qui ſub aliis cingulis inveniuntur, pro temporibus, def. &c. *Goth.* Habuit magiſter officiorum adjutorem ex ſchola agentium in rebus, *l.* 12. *ſupr. tit. prox.* & ſubadjuvas adjutoris duos; habuit & ſubadjuvas fabricarum. quos conſtat fuiſſe ſub diſpoſitione magiſtri officiorum, & ſubadjuvas barbariorum, id eſt, officinarum barbaricariorum, *l.* 3. *C. Theod. de agent. in reb. Periculum*, inquit, *ſe & adjutor & ſubadjuvæ ſubdituros eſſe cognoſcant &c.* iidemque chartularii dicuntur ibidem *l.* 5. & 6. *Mod.* 23 Quot velit. 24 Centenarii qui, vide *l.* 5. J. *de princ. agent. in reb. h. lib. tit.* 22. ubi dixi.

25 *L.* 6. *C. Theod.* 27. 26 *Principibus, in manuſcr. al.* non eſt nova rubrica. Cont. 27 Al. Zeno. 28 Al. *barbaricorum*, al. *barbaricariorum.* 29 *Recte*, al. *ſub ambarum*, ſed male. 30 *l. unic.* J. *Negotiatores ne militent. h. lib. tit.* 35. 31 Viri ſpectabiles. 32 Vide *l.* 5. J. *qui militare poſſunt. h. lib. tit.* 34. 33 Subſtitutum dare ad munus ſuum obeundum qui poteſt, idoneum plane dare cogitur, quod & in adſeſſoribus, profeſſoribus, militibus, & aliis quibuscunque merito ſimili in ſpecie dicendum eſt, Corſetus *ſingulari ſubſtitutus.* 34 Al. *præfectus.*

35 *In quib. vet.* additur, *ſubadjuvæ.* 36 Hanc ſaluberrimam ſanctionem. 37 Executionibus. 38 Non eundem, ut exiſtimavit Accurſius, ſportularum modum litigantibus in rebus Anaſtaſius præſcribit, quem præſcripſit militantibus in ſacris ſcriniis, *l.* 12. *tit. prox.* ſed eundem quem Leo & Zeno miniſterianis, *l. ult.* J. *de caſt. & miniſt.* & hoc quidem in urbe. In provinciis ſportularum modus eſt levior, pro parte nimirum tertia, & hoc ſive ipſi litigent, ſive procuratores, ſive mares, uxores, liberi, ſervi eorum. Ad hæc confirmat privilegia data centenariis & ducenariis, & ſubadjuvis *l.* 4. §. *de agentibus in reb. l. ult. tit. ſeq.* *Mod.*

39 Principatus eſt dignitas ejus, qui cæteros agentes in rebus antecellit, pro præmio exacti laboris tributa. Caſſiodorus *lib.* 1. 40 Περὶ πρίγκιπος καὶ μαγιστριανοῦ καὶ ἑτέρων τινῶν στρατευομένων. *Syn. Baſil.* 6. *tit.* 30. adde *L.* 6. *C. Theod.* 27. 41 *Al.* Imp. Zeno. 42 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 43 Officiales. 44 Mittantur. 45 Nullaque. 46 Executio, vide *l.* 8. §. *de off. rect. provinc. l.* 7. §. *quæ res pignor. obl.* 47 *Abeſt a quibusd.* 48 Suſceptum, clientem dicit eſſe Cujac. & Pithœus multis auctoritatibus confirmat. Idem ſubmiſſus vocatur, de quo alias dixi ad *l.* 3. *ff. de uſu & habit.* 49 *l.* 5. *C. Theod. h. t.* 50 Fuit. 51 Et principis. 52 Vide Capitolinum *in Gordiano.* 53 Impp. Honor. & Theod. AA. Palladio proc. Africæ. 54 *l.* 7. *Cod. Theod. hoc tit.* 55 *l.* 8. *C. Theod. h. t.* 56 Hi tamen domeſtici completo actu eundem repetere non poſſunt, *l.* 5. & 6. §. *de Aſſeſſ. Principum.* domeſtici poſſunt. *Mod.* 57 Ducena: *ut hic*, (unde ducenarii. *l.* 1. *ſupr. de exact. tribut. l.* 10. *tit.* 19.) & centena, unde centenarii. *d. l.* 1. & *l.* 3. & *l.* 4. §. *de agentib. in rebus h. lib. tit.* 20. *l.* 1. J. *de lucris advocat. h. lib. tit.* 62. *l.* 1. *C. Theod. de Cæſarianis*, *l.* 1. *C. Theod. de murileg. l.* 5. *C. Theod. de decurion. l.* 3. *C. Theod. de cohortali*, & *pr. eorum. l.* 1. §. *de off. magiſt. off. Euſeb.* 7. Cyprianus *in epiſtol.* Suet. *Claudio cap.* 24. dignitates & officia ſunt in ſchola agentium in rebus & in officio ſacrarum largitionum: ſic dicta forte a numero pecuniarum eis commiſſarum: nam & hac ratione procuratoribus Cæſaris indita nomina. *Dion.* 53. vid. Cujac. *ad l.* 1. *ſupr. de exactor. tribut.* 58 Vicariæ. 59 Expleto.

tempore